



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvací, 1625

De admonitione Marthæ. IV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

excusationem. Si quid minus potest in spirituali conuersatione; hoc tu supplere desidera per sancta & deuota exercitia tua. Non tamen ex te illud presumas, aut de te plus quam oportet sapere velis: sed Dei gratia te exhortante interius, bonum charitatis tuæ studium in hoc commendâ, quia omnia bona opera tua ei communicare debebas, quæ plura impedimenta deuotionis habet quam tu Soror enim tua es, & illi debes; quidquid boni apud Deum habere vales.

¶ Admonitio Martha.

Audi iterum & tu Martha, quæ solicitaris circa frequens ministerium. Cae ne turberis in opere, & ne deficias in tribulatione: quia satis abundantier & causarum tumultus aduenient tibi, & aduersitatū contra te varietas non deficit. Beata eris, si omnia patienter accipis, & cum gratiarum actione, à Deo esse bona & mala salubriter sentis. Semper igitur tibi opus est patientia atque prudentia; ut per patientiam mala superes, & per prudentiam aliis bona misericorditer impendas, quamvis sint etiam ingratii. Attende tu quibus seruias, & qua mercede laboras. Nonne Christus est, cui te totam contulisti? Eius Martha es, & eius voluntatem facere debes, ne offendas & pecces. Potens est Dominus tibi dare gratiam maiorem, & ostendere etiam gloriam suam; ut quæ tam sedulò & deuotè ei ministras in mundo, tandem iuxta eum recumbas in regno eius.

¶ Consolatio Martha.

EIa Martha, magna erit merces tua in cælo, tantum esto fidelis in ministrando. Propterea serui, fer curam, præpara que opus sunt ad vitam istam: siue in coquina, siue in braxatorio & cellario: siue terendo semina; siue molendo sinapis, siue alterius generis grana. Opus si vile est, tamen precium vita eterna est. Quicquid enim expendis in usum fratrum Christi, reddet tibi iustus iudex in die iudicij. Quando omittis propriam voluntatem & utilitatem aliquam, seu quando postponis spiritualē lectionē propter aliorum necessitatem, tunc emis a Christo hereditatē æternæ vitæ, & ille fit tibi preciosum & firmissimum pignus solutionis æternæ glorie. Vnde Patri sic dicit: *Volo Pater, ut ubi ego sum, illic sit & minister meus.* O Martha, multa potes operari opera bona, si sis voluntaria & parata. Egent seruitio tuo serui Christi, & sine tua cura non senti in Deo liberi. Si tamen vis esse meritatorium opus tuum, fac ex animo bono, & non cum tristitia neque cum tradio. Magnam potes exercere charitatem in fratres, magnam etiam generare lætitiam, dum esuriunt, & sitiunt, nec habent

S f

quod

1089. 12.